

Forfatter: Arrebo, Anders

Titel: Udrag fra Breve

Citation: Arrebo, Anders: "Hexaëmeron. Lejlighedsdigte. Breve. Udg. af Vagn Lundgaard Simonsen. 1965", i Arrebo, Anders: *Hexaëmeron. Lejlighedsdigte. Breve. Udg. af Vagn Lundgaard Simonsen. 1965*, udg. af VAGN LUNDGAARD SIMONSEN ; Jørgen Glahder , Munksgaard, 1965-83., s. 303. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/text/adl-texts-arrebo01val-shoot-idm140030262171968.pdf> (tilgået 26. april 2024)

Anvendt udgave: Hexaëmeron. Lejlighedsdigte. Breve. Udg. af Vagn Lundgaard Simonsen. 1965

Non fugit Reverentiam Vestram, Patrone Magnifice, ultimum nostrum, de nonnullis apud nos Verbi et Sacramentorum contemptoribus, colloquium. Primum omnium consului Vestram Dignitatem de Chirurgo nostro Daniele, quem ob papisticam religionem multifariam suspectum habui, et etiamnum habeo. Rediens ipsum coram Præsidente citavi, citatus comparuit, religionemque illam diabolicam, quam potuit severissime, denegavit et detestatus est; quin imo, me Hafniæ agente, in Ecclesia nostra, citra meum velle, communicavit. Ego multis ipsum argumentis et quæstionibus convincere satagebam, sed omnibus in culmo arabam. In tantum interim profeci, ut mihi in conspectu Præsidis, Sacerdotum et bonorum Virorum, publice et solenniter hoc juramentum (cujus copiam Dno Patrono, ut revideat, transmittito) se præstaturum præstitumque propria manu communiturum polliceretur. Hoc si Domino meo placet, fiet, si minus, quem ipsum faciam, nescio. Communicavi deinde cum Dno Doctore de Vitriario, homine prorsus atheo et prædestinatore impio: Ille hanc inquisitionem audiens paravit abitum, si unquam redierit, se ipsum denuo fugaturum promisit seculare Brachium. Tertius, de quo Gravitatem vestram sum allocutus, est coriarius Ivari nominis; Hic missellus divinarum rerum fere nescius, in jus vocatus, præsentem Præsidente et aliis, confessus est, se ab adolescentia in hunc usque diem non communicasse. Vir est, si non provectoris ætatis, certe quinquaginta ad minimum annorum. Miserrimus coriarius 304 (Haterslebiæ claris, quod audio, natalibus prognatus) ardentissimis votis efflagitavit in Ecclesiam recipi, promittens poenitentiam et vitæ in posterum emendationem. Quarto convenimus de carpentario, homine natione Dano, etiam illiterato, qui Paulus dicitur. Hic etiam per annum vel quatuor a sacra Synaxi abstinuit: sollicitat et ille de receptione in Ecclesiam cum promissione vitæ corrigendæ. Interea temporis offendi adhuc quintum, virum ad canos fere perductum, nomen ipsi est Andreas Tidemand. Est ejusdem cum duobus posterioribus farinæ homo, per tredecennium Coenæ Dominicæ non interfuit: totus (quod mirum non est) in negotio salutis est rudis: pollicetur similiter vitæ emendationem, et petit in Ecclesiam reduci. Plura Ecclesiæ monstra non habeo, utinam nunquam habeam. De hisce, optime Mæcenas, Gravitatem Vestram consulere necesse habeo, ut certior de executionis cum illis processu evadam. Ego, meo iudicio, non video, qua ratione ipsos ad Communionem admittam, nisi prius publice absolvantur; peccata enim et scandalum eorum in publicum prodiit, totique innotuit Ecclesiæ. Quare et publice peccantes publice absolvendos Ordinatio asserit Regia. Communicet interim mihi absenti gravissimum suum in hoc negotio, quo excellit, consilium Vestra Dignitas, ut recta via incedam, nec impingam vel in ordinationem Regiam vel bonam conscientiam. Fateor, merito hoc onus Dno Episcopo imponendum; cum autem extremam ejus fragilitatem calleat Dnus Fautor, mihi audaciam meam ignoscat, confido. Jam tandem indoctum calamum suspendo, et Patronum Magnificum cum omnibus suis æterno Deo semper commendo. Scripsit ad Fridericiburgum agresti calamo